nis Generalis

Dambrowski Petri: Ad Illustrem et Magnificum D. Gabrielem Comitem a Tarnów generalem Capit. Crac. in primum sui Capitaneatus ingressum gratulatio.

AD ILLVSTREM & MAGNIFICVM DOMINVM GABRIELEM COMITEM A TARNOW GENERALEM CAPITANEVM CRACOVIEN: &c.

In primum sui Capitaneatus Idibus Ianuarij ingressum.

GRATVLATIO.

PETRI DAMBROWSKI EX Academia Crac. Philosophiæ Doctoris.

CRACOVIÆ,

Anno Dñi. 1621.

Clarissimo Doctissimoque viro Dño Thomæ Eustachio a Pialek D. D. et Professori suo et bravi patrono Author D. D.

IN ARMA
ILLVSTRIVM DD. COMITVM A TARNOW.



Lunæ crescentis faciem cum sidere claro
  Vestrum Tarnouij nobile stemma refert.
Ecquid ita? haud gratis certè, hoc sed res docet ipsũ,
  (A verbo tantum sit procul inuidia)
Virtutum vobis insignia iusta referre
  Non potuit tellus, contulit ergo Polus.
Lunam & sidus habetis! pro virtute ministrant
  Astra poli, superest det Deus atq; polos.

Illustribus & Magnificis,

DD. IOACHIMO

Vendensi &c. &c. Capitaneo &

MICHAELI

Comitibus á TARNOW Fratribus.

Dominis & Patronis colendissimis.

SErio & Romano more profiteor Illustres Comites, singularem Illustris Generalis Crac Capitanei fratris Vestri humanitatem beneficentiæ coniunctam, recens erga me declaratam, meum cùm affectum studiumq; prouocasse, tùm industriam ingeniumq; æuiterno obsequio officioq; sibi deuinxisse. Proinde, cùm teterrimum illud ingratitudinis vitium Deo & hominibus exosum abhorreo; ecce Deus gloriosus votis meis annuit, dùm eum ad capessendam Remp. accedere, hacq; dignitate auctum esse iussit. Hoc breui scripto, testari gaudium, & consignare fidem & constantiam meam volui in eo colendo; idq; sub patrocinio Vestro. Quia enim ex singulis coagmentata est clarissima Gens Vestra, quicquid in eam confertur, ad omnes proportione permanat

& vi-

et viciſſim neceſſe eſt, quod ſigillatim omnibus tribuitur, in commune Gentis redundare. Quæ hîc in Gentis Veſtræ honorem (pluſquàm enim arduum eſt, excelſas virtutes ipſius & promerita laudibus adæquare) effudi, tàm facili ſunt æquanimitate Vobis communia, quantùm ſibi gaudent eſſe communem oculi diem. Diuidere inter Vos Gentis Veſtræ gloriam nec potui, nec volui. quicquid alterutri præſtatur, omnium eſt. Ad iſtam concordiam naturæ Veſtræ legibus imbuti eſtis, dum virtutibus Veſtris fauetis, dum pulcherrima inuicem facta laudatis, dum ad honorum faſtigium per viam Virtutis pari gradu tenditis & affectu. Veſtrum igitur erit, exiguum hoc (quod ſolum vel accipere poteſt iſta fortuna, vel à me opibus Veſtris tribui) at fidum & ſincerum, deuotiſſimæ mentis meæ pignus & teſtimonium non repudiare: meq; clientem Veſtrum, fide & obſequio promptiſſimum, heroicis virtutibus Veſtris addictum, cuiq; ſecundum Deum, ſpes omnis dignitatis in Gente Veſtra inclita eſt, auctoritatis Veſtræ velut manu, & beniuolentiæ radijs educere & attollere. Viuite, Valete, creſcite in veſtrum, literarum & patriæ bonum.

Amplitudinis Veſtræ ſtudioſiſſimus

Petrus Dambrowſki
Philoſophiæ Doctor.

Ad Illustrem

Et

MAGNIFICVM DOMINVM

GABRIELEM COMITEM A TARNOW.

Generalem Capitaneum Cracouiens: &c.

In primum sui Capitaneatus ingressum.

Gratulatio.

SI, gaudio quoque, prout ait ille, cogendi vis inest; ægrèq; in eundem hominem conueniunt, gaudium & silentium, Illustris & Magnifice Comes: neq; Tibi, neq; cuiquam mirum videri debet, me nunc in Tuum conspectum venire, qui, ad primum accesſionis dignitatis Tuæ nuncium, tanta meum animum voluptate senserim efferri, vt eius exundantis magnitudinem capere, eamq; intra arcanæ lætitiæ conscientiam coërcere non valens, dedignatem pectoris latebras, foris vt promineat, permittere, habuerim necesse. Siue enim in Te, siue in Rempub. siue in me ipsum oculos conijcio, vndiq; sese plurimæ, & illæ graues, proferunt lætitiæ causæ, neq; tacere permit-

tunt. Et Reipub. quidem, quis non gratuletur, cùm videat, in honore hominum, in honore famæ nomina magna esse? hoc est, viris clarißimæ Gentis, illis virorum illustrium nepotibus, illis posteris libertatis, debitũ generi, debitum virtutibus, debitũ meritis honorẽ deferri? si quid vsquam stirpis antiquæ, si quid residuæ claritatis, id foueri, & in vsum Reipub. promi? nobilitatem non obscurari sed illustrari? honoribus amplificari, augeri, & maioribus suis reddi? Etenim, cùm rectè & ex virtute facta quà priuatim, quà publicè, sint ea, quibus id totum, quicquid decoris, ornamentorum, splendoris est in Reipub. tribuendum sit: plurimùm conducit, si gratia bonorum, non cum ipsis cadat: Accenditur quippè iuuentus, erigitq; animos ad æmulandum, quod, non laudari solùm, sed ornari quoquè, etiam post fata videt: sumitq; fiduciam, paratum esse industriæ & dexteritati suæ vt amplißimum, ita perpetuum & immortale testimonium: hæ sunt eius faces, hi stimuli, quibus ad iuuandum Rep. de eaque benè merendum, incitatur: quemadmodum qualibet sincera rectaq; ingenia, etsi non detorqueri, hebetari tamen & deterreri à laude certum est, si non pateat illis honoris cãpus; & si rectè factis, vel solùm dũ vigent, vel ex sola conscientia mercedem videant. Ideò pulchrè sanè peruersi Imperatoris optimus præceptor confirmat, sacram esse magnarum virtutum memoriam, ita vt non præsentes solùm illas, sed ablatas etiam è conspectu, colere debeamus. Nam quemadmodum illi id egerunt, vt

non

non in vnam ætatem prodessent, sed beneficia sua etiam post se relinquerent: ita & nos non vna ætate gratos esse conuenit: Et quorum opera auctoritas publica, splendorem suum procul obtinuit, eorum dignitatem domi collabi, sobolemq; iacere, non minus indignum, quàm Reip. perniciosum. Gentem Tuam Illustris Comes, in hoc nobilissimo Regno, facilè principem & clarissimam esse, summi stuporis est non agnoscere, vel ex eo, quòd quantùm Respub. habet Honorum, tantùm vna Familia Tua ostendit & titulorum, ita vt contractum intra vnam Domum quendam Honorum Senatum, miremur simul & veneremur. Replica, quisquis aues exquisitè rem nosse, replica annales maiorum tuorum: quacunq; inspicis, quacunquè insistis, in Dignitate Comitum à Tarnow vestigium mox ponas. Nec sanè mirum: cùm abundè sit experta Respub. quàm benè humeris Gentis eius sederit; quæ nunquam, quoties aliqua sese obtulit occasio recusauerit, dum pro patria pugnaret, se suaq; omnia prómpto animo discrimini exponere: ideoq; tot tantisq; virtutibus ac meritis, nouos honores, nouos titulos accumulare, nunquam cessauit. Sed non satis est, nominis eiusdem famam, amplissimi licèt Regni huius finibus terminari, quæ ab ipso conscio solis occidui Oceano, ad illos primæ lucis indigenas, & in ipsum (quod vana gentilitas ponit) solis cubile penetrarit. Ac mihi quidem ingentium virtutum Gentis Tuæ stupenda penetralia ingredienti, & quasi thesaurum quendam rerum pulcherrimarum

ac preciosissimarum aperire, spectandumq; proponere volenti, ipsa turba impedit dilectum, ita vt ex copia summam patiar difficultatem. Video enim tot viros fortissimi animi, tot summi consilij, boniq; publici amantissimos Senatores, bellorum duces eximios, pietatis cultores feruentissimos, Christianæ religionis propugnatores acerrimos, & quid non? Vt omittam ea, quæ nimis antiqua videri possunt (siquidem sexcenti iā anni & eo amplius sunt, cùm hæc Familia floret nobilissima, aliosq; assiduè ex alijs viros illustres, perpetua quadam serie propagat) & Nicopolim, Varnam aliasque Thraciæ ciuitates, lubricam & fallacem Valachiam, illamq; terrarum pestem Tamerlanem, Tarnouiorum virtutis testes locupletissimos sileam: illum virum, in quem Deus gloriosus tanta congesserat naturæ animiq; bona, & ornamenta fortunæ, vt vix succurrat voto saltem effingere similem, fulmen illud belli, terrorem hostium, Ioannem Tarnouium Castellanum Crac: Exercituum Regni Generalem Capitaneum, suffecerit in medium produxisse: quem, quis vnquam pro merito laudibus ornauerit? Ibit scilicet vestigijs virtutis eius colligendis, per totum Tagi & Ducro limitem, perque omnem quà tendunt Wolgam, Tyram, Hypanim; & ripas peragrabit Boristhenis & littus Euxini: ibiquè requiret, quàm fæliciter & industrie iuuenis adhuc, Lusitano regi exercitum contra ferocissimam Maurorum gentem ductauerit, eaq; fortiter & animosè pulsa è Lusitania, illi tam diuturno bello finem imposuerit: quàm infeliciter.

 ter.

ter, toties ab eo cæsus in acie Moschus, munitissimam li- cet muro, situ, & præsidio tenens arcem Starodub, ausus fuerit illo imminente resistere ac portas claudere: quoties rapacissimæ & famelicæ, vel è flāma (quod dicitur) cibū petere solitæ gentis Tartarorum irruptiones, fælici victo- ria vindicatis iniurijs represserit? Sed qui volet ista omni- a complecti, secula sibi optare debet, & innumerabiles annos. Transeo igitur plurimas eius in terris disiunctis- simis pugnas atq; victorias. quæ enim tot tantisque rebus sufficiat oratio? Illam tamen nobilem pugnam, cuius mo- numenta publica quotidie oculis nostris obuersantur, tā- citus præterire nullo modo possum. Siluarum & palu- dum profugijs bellum frustrari solitus Walachus duce Pe- trilo, inuaserat Podoliam Pocutiamq;. Sustulerat ani- mos, ob aliquot relatas ex finitimis victorias, quibus se formidandum ostentarat. Adest Tarnouius, suos ab in- iuria perfidi prædonis defensurus. Adducit exercitum, non numerosum quidem illum, at florentem, plenum animi, lætum armis, & militiæ munia studio magis (nondum e- nim armorum studium à manibus ad oculos, ad volupta- tem à labore translatum erat) quàm necessitate exequen- tem. Castra ad Obertinum ponit, ijsq; se, metum simu- lans, continet; mox palam facturus, venisse ducem v- num ex veteribus illis & priscis, quibus imperatorium nomen addebant contecti cædibus campi, & infecta ca- daueribus flumina. Committitur atrox prælium: at quo euentu? Non per varios & volubiles casus Mars dubius

 erra-

ctrauit, nec fortunæ vicissitudo victorum lætitiam grauiter vulnerauit: sed tanta hostium & tàm ampla cædes, tàm fælix & incruenta victoria fuit, vt credas, non bello ancipiti dimicatum, sed solas prædonum pænas expetitas. Postquàm enim miles castris erupit, pristinæ virtutis, Polonorum nominis, Imperatoris deniq; memor, causam publicam manu agere. Walachus coactam operam, laceratam Podoliam, spem in ferro reliquam cogitans, gladiatoria desperatione pugnare, nec gradu cedere, sed in vestigio stare, vel cadere. At vbi circumuenta, & velut indagine clausa, mox impulsa acies, fronsq; laxata, & fiducia in pedes versa est: ire præceps, aut globo fugere, & se inuicem festinando tardare, armati, inermes, integri, saucij, primi, postremiq; misceri. Polonus vrgere eminus, cominus, gladiis, hastis, punctim, cæsim ferire. alij iugulis imminere, alij terga configere, aut quos cursu non poterant continere, iaculis occupare. Arma, tela, equi, homines, viua, perempta, prona, supinaq; corpora passim, vel in aceruo iacere. Illi mutilis excisisq; membris, reliqua sui parte fugiebant, hi dolorem vulnerum sequebantur, isti mortem receptam in siluas & flumina deferebant. Nullus finis cædendi insequendique, nisi subtraxisset aliquando victoribus mors hostem, & nox diem. Sed tanti viri res gestas, reuerentius fuerit integras illibatasque cuiusque cogitationi reseruare, quam vel carptim breuiterque perstringi, vel enumerando tenuari. Viuent, viuent illæ, quam diu nomen literarum fuerit, vt quæ, aliæque

eiusdem Gentis plurimæ, non Polonorum tantùm anna-libus, sed nobilis & optimi cuiusquè, illorum temporum aut etiam inferiorum scriptoris, monumentis proditæ, consignatæ, atque immortalitati consecratæ sint. De hoc igitur cæterisque veniam sile tŋ peto. At illum singulari virtute Senatorem Stanislaum Castellanum Sandomiriensem Patrem Tuum, amantissimum Tui, Tibi charissimum, num sine piaculo præterire potero? in quo quid primum mirari debeam, penitus hæreo. Pietatemnè in Deum, & studium conseruandæ & propugnandæ religionis Catholicæ, an erga cultui diuino specialiter addictos affectum & honorem? eximiam illam cum ipso nutricis lacte suxit, totaquè mente penitus combibit: hoc, vt ardentissimum & singulare in eo eluxit, ita aduersus eos, qui illam aliqua ex parte labefactare conarentur, odium perpetuum & implacabile: illos verò ad miraculum vsque coluit, sine quibus mensæ assidere, vix aut nunquam sustinuit. An erga inopes beneficentiam, & literarum cultores munificentiam? Longum esset pcensere beneficia, quæ in orbem redeuntia, eius benignitate in vtrumque hoc genus fulserunt, ita infinita numero, vt nunquam obliuione gratiam obductura sit multitudo eorum: Nunquam enim sibi passus est eripi beneficiorum occasiones, & obligandi materiam: tam velox, tamque in omnia pariter intenta bonitas eius & accincta, vt tristius aliquid passis, ad remediũ sufficeret, vt sciret: & licet omnes ferè homines ad pecuniæ custodiã natura restrinxerit, illũ a-

mor

mor liberalitatis, communibus auaritiæ vinculis exemerat. Naturæ forsan benignitatem & facilitatem quis in eo desiderauit; at nihil tam perspicuum quàm in pectore eius bonitas. Re non verbis asseruit, virum principem, tantò benigniorem erga inferiores esse debere, quantò sit fortuna præstantior: cumq; indiscreta fælicium pedissequa sit superbia, ita vt vix cuiquam contingat & abundare fortuna, & indigere arrogantia: apud eum faciles aditus, benigna responsa, aures patientissimæ, finemq; sermoni suus cuiq; pudor, non eius fastidium faciebat. Vultum verò ipsum, augusti cuiusdam decoris grauitate, hilaritate permixta, venerãdum quiddam & amabile renidentem, quis dignè exequi possit? planè ad omnium animos ac voluntates deuinciendas ipsis gratiarum manibus factus videbatur. Quid dicam de Aula ipsius Spartanis gymnasijs admirabiliore, oĩs honestatis, frugalitatis, hospitalitatis, alijsq; id genus exemplis abundante? Non satis putauit esse, quod se ab omni vitiorum contagione reprimeret & reuocaret, nisi & domestici ad eius exemplum componerentur; & licet multis in locis arrogantia & cõtemptu cæterorum, licentia & dicendi & faciendi quicquid collibuit, distingui ab alijs soleant; ille suos ita instituerat, vt nulla re magis, quàm modestia singulari, & præcipua quadam integritate vitæ ab aliis discernerentur. Taceo mensam eius, in qua non aurum nec argentum, non exquisita ingenia ferculorum potius, quàm suauitatem eius iucunditatemq; mirari licuit: Summa illi ex conuictu voluptas

ſuptas : non ille antè medium diem diſtentus ſolitario ci=
bo, ſpectator annotatorque conuiuis imminebat. prouo=
care, redderecꝫ ſermones, ipſum tempus epularum, cùm
frugalitas cõtraheret, humanitate extendere: nulla obſcæ
na petulantia menſis oberrabat, ſed benigna inuitatio,
liberales ioci, ſtudiorum honor, omnia ornata grauitate.
Atcꝫ hæc priuatim, & quæ limine tenuit, præclara ſanè:
illa verò, quæ in publicum protulit, quæ pro Reip. vti=
litate ac dignitate geſsit, quis vnquam, ne dicam laudi=
bus ornare, ſed numero comprehendere poterit? Miles
diſiunctiſsimas terras, teneris adhuc annis, viri firmita=
te luſtrauit: non in ocioſa aliqua, delitijſque corrupta
parte terrarum, ſed in his prouinciis, quas ad infatigabi=
lem conſuetudinem laboris & patientiæ, armis ſemper
inſtructus limes exercet, in quibus omnis vita militia eſt,
pro patria ſtetit: non proſpexiſſe ſolùm caſtra, breuemcꝫ
militiam quaſi tranſiſſe contentus, per multorum anno=
rum ſtipendia, cognouit mores feri & ſtolidi Moſchi,
trucis & horridi Scythæ, leuis & perfidi Walachi, regi=
onum ſitus, opportunitates locorum, diuerſamcꝫ cæli tem=
periem, vt patrium ſidus, ferre conſueuit. Poſtquam ve=
rò in ampliſsimum Regni conſilium adſcitus eſt, quanta
cum dignitate dignitatem illam ſuſtinuerit, quid neceſſe
eſt rem manifeſtiſsimam pluribus verbis exponere? Nun
quam liberi ciuis & boni Senatoris officio defuit: ea ſen=
ſit, ea cenſuit, quæ è dignitate & vtilitate publica, quæ
Senatore digna putabat eſſe: nihil ab eo gratiæ, nihil

metui

metui datum: prima & antiquissima illi in sententia dicenda, veritatis cura: ita versabatur in Repub. vt crederet esse Rempub. non consilium, non operam subtraxit: eiusque inuicta illa magnitudo animi, nō passa est, vel cum ad summam peruenit senectutem, reipub. vela contrahere, quæ tā fælicibus ventis iuuenis impleuerat, ipsamque ætatem vtilitate reipub. vicit. Cùm enim non ita pridem, sceleratissimus ille, religionis & libertatis nostræ hostis Turca, numerosissimo è colluuie Tartarica exercitu, patriæ immineret: magnanimus Heros, qui admirabili studio arderet incedendi asiduè per vestigia maiorum suorum; quanquam multi totam excusationem afferrent ætatis, fasque illis videretur, eum quem anni cogerent, aut valetudo deficeret, receptui canere: ille tamen patriæ defensione sibi non putauit abnuendum, in illamq́ vocem æterna memoria dignissimam prorupit: Non patiar, non patiar rempub. quati, me quiescere: illam periclitari, me otiosum spectare: illi libertatem adimi, me vsurpare mihi illicitam missionem. O vis virtutis, quid non in pectoribus verè generosis efficis? Sed quid ego, in laudibus huius viri celebrandis immoror, in quo laudando, nihil dici tàm amplum ac magnificum potest, quin plurimis omninò partibus, ab eius virtutum præstantia copiaque superetur? ideo immortalia hæc promerita, quando commemoratione ac verbis pro dignitate prædicari nequeunt, asidua potius recordatione, sacroque silentio veneranda. Et ille quidem excessit (si modo excessisse dicendus est,

cuius

cuius immortalia facta viuunt, & in ore omnium oculisque versantur) & abiit à nobis, plenus annis, plenus honoribus, illis etiam quos recusauit: magnus titulis & imaginibus, maior virtutibus innumeris, boni verò publici augendi studio incredibili maximus. Abijt, sed suauissimum famæ odorem reliquit, qui per omne vitæ spatium talem se præstitit, vt tanquam perfectum, & absolutum antiquæ illius innocentiæ & integritatis exemplū, seu, vt verbo dicam, EXEMPLAR PRIORIS ÆVI, omnium prædicatione commendetur & requiratur. Dolet, quod excesserit à nobis, sed dùm Te Illustris Comes cernimus, illum excessisse non credimus, in quo, tanta maiorum luce decoro, in tanta domestica laude nato, à primis statim annis, iam erant ductæ lineæ, quibus virtutum paternarum effigies posset includi: quique mox, ad perficienda, quæ ingenerata erant bona, non segni virtutum opifice disciplina accedente, exarsisti ad propriam earum speciem exprimendam, dum ostendere, omnibusque planum facere contendis, nobiles illas animas, in posteris etiam viuere & spirare: &, non incumbere Te tantùm maiorum famæ, sed tradere & propagare eam aptum esse, lumenque quod Tibi maiores prætulissent, posteris praeferre. Audiuimus igitur, Te amplissima quaque dignitate dignissimum esse: sed audiuimus. Dicebaris per omnes, maiorum Tuorum virtutum & laudum vias, ire securus & intrepidus: sed dicebaris. Aequum erat (licet Tu magnitudine quadam animi, verum honorem,

non in ſplendore titulorum, ſed in iudiciis hominum re=poneres) aliquando nos iudicio noſtro, noſtris oculis, non famæ ſemper & rumoribus credere. Scilicet enim, illæ tantæ virtutes Tuæ, maiorem aliquem campum, in quo excurrerent, maius theatrū, in quo ſpectarentur, & à plu=ribus cognoſcerentur, requirebant. Diuina igitur ſic di=ſponente prouidentia, & Sereniſsimi Regis noſtri, miro in pernoſcendis hominum ingeniis acumine, & acerrimo in ponderandis cuiuſque meritis iudicio præditi, volun=tate, GENERALIS CAPITANEVS CRAC: præ cæteris creatus es. Pulchrum ſanè Reip. glorioſum Tibi, Illuſtris Comes, negotium hoc publicum Tibi cō=miſſum eſſe: amplum illud & illuſtre, ſed & tale, quod planè fidem facere poſsit & conuincere, Tarnouios, du=ra quæq; & aſpera, pro bono publico ſufferre, paratiſsi=mos eſſe. Neminem, à rerum vſu vel modicè inſtructū, eſſe puto, qui neſciat, quanta ſit huius loci, cui nunc Dei munere præes, dignitas & amplitudo. Etenim, ſi, vt optimè, nec minus ex veritate à veteribus dictum eſt, leges ſunt mens & anima vniuſcuiuſq; ciuitatis & reip. ita quòd, ſicut corpora noſtra ſine anima, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus & membris vti non poſsit: legum autem nullus eſt vſus, niſi ſuos nomophilacas, ſeu cu=ſtodes & miniſtros, qui eas cuſtodiāt & exequantur, ma=giſtratus ſcilicet habeant: magiſtratuū porrò præcipua vis in iudiciis exercendis cernitur: quis eſt adeò mentis inops, cui non luce meridiana clarius pateat, non fortu=

nas modò, quæ ſine maximo labore rarò, ſæpiſsimè verò cùm ſummo vitæ diſcrimine parantur, ſed & famam, & libertatem, & ſalutem ciuium; imò ipſius Reip. dignitatem & exiſtimationem, eorum qui iudicia publica exercent, fidei, religioniq́ʒ committi? Quid enim indignius, quid Reip. auctoritatem magis vellicat, quàm, illa quæ ab omnibus Regni Ordinibus, tanta contentione animi, tanta ſollicitudine, tanta temporis (neque enim hic acciſa nimis illa lex Achaica, in conuentibus diem vnum deliberationi, alterum decreto præfigens, locum habet) diuturnitate, rectè ſancita ſunt, irrita eſſe, neque executioni mandari? Perſtrinxerat olim grauiter eo nomine Thebanos Philo Philoſophus, à quibus Spartam miſſus erat, vt eius ciuium conuiuendi modum, ſuæque reip. leges aduerteret, ex ijſq́ʒ potiores & rationi magis conſonas, ſeligeret ad obſeruandum. Qui cùm per annũ integrum apud Spartanos commoratus eſſet, Thebas tandem rediit. Ad reddendam igitur legationis ſuæ rationem in Senatum introductus, quàm plurima iuſtitiæ inſtrumenta, catenas, compedes, neruos, flagella, gladios, ſecures, eculeos præſentauit, eaque in medio effudit: neque vllum locutus verbum, Senatum egreditur. Miratur factum Philoſophi Senatus: cumq; protinus reuocari, &, quid ſibi illa inſtrumenta velint, aperire ſeriò præcipit. Tum ille: Miſſus ſum à vobis Spartam, Thebani, vt illius leges inſpiciens, eas vobis afferrem: Ferè nullam ibi vidi, quam vos quoq́ʒ in rep. veſtra non

habeatis: hæc ſolùm iuſtitiæ inſtrumenta, quæ apud vos
nulla video, ex copia Spartana placuit afferre vobis, qui
non legibus, ſed legum executione indigetis. Huius i=
gitur loci eſt, auctoritatem & dignitatem Reip. ſartam
tectam conſeruare: pacem & tranquillitatem publicam
cuſtodire & defendere, eamq́ à vi tutam præſtare & vin=
dicare: ſuum cuique tribuere, iuris æquabilitatem inter
omnes proportione tueri: audacium ſceleri reſiſtere, in=
nocentium calamitatem leuare, & pericula propulſare:
tenuiores à potentiū iniurijs defēdere: quos ſoluta legibus
vita delectat, quorum inſolentia quietos vexandi, crudeli
tas innocuos necādi, cupiditas aliena rapiendi, libido ho=
neſta fædandi, impunitatem ſibi promittit, coërcere, le=
gum habenis reprimere, prouidaque ſeueritate cauere, ne
fundata legibus reſp. euerſa videatur exlegibus: Et vt
rem in pauca contraham, perpetuum profiteri contra vi=
tia certamen: illudq́ fundamentum & radicem honeſti
otij, bonorum omnium ſeminarium, illam quietis publi=
cæ ſegetem, almam pacis altricem, reuerentiam inquam
& honorem legum aſſerere: regendis moribus, frangen=
dis vitiis leges conſtitutas, eaſque non aranearum telis
ſimiles eſſe, vel inuitos docere. At hoc negocium, vt la=
boribus, curis, vigiliis, ita periculis plenum eſſe quis nō
uidet? Non paucos etenim leones videas, illi non abſi=
miles, qui leporibus in concione poſtulantibus æqualita=
tem omnium: Ego, inquit, legibus veſtris obediam, ſi
mihi demantur vngues. Quis item, cum moribus per=
uerſis,

uersis, non difficile luctamen putabit? Vt enim quisque improbissimus, ita maximè legum vindici inimicus, vitandis legum pœnis, de nouo scelere remedia quærit: & quia defendere admissa flagitia non potest, in vltorem iuris inuidiam congerit: Aeger quippè ad honestatem est recursus his, qui iam gradum ex nequitia protulerunt: neque in his ratio desideranda, qui semel de via virtutis præcipites ire cœperunt. Hæc tam illustris & conspicua statio, requirebat virum, qui boni publici causa, omnia faciat, officiiq́; non commodi, rationem habeat: qui pauca somno, pauciora conuiuijs, nihil otio tribuat: ipsa se naturalium necessariarumq́; rerum vsurpatione defraudet, totus commodis publicis vacet: in laboribus, animique contentione qui sit totus; ijsq́; artibus ab ineunte ætate deditus, quibus ad Remp. capessendam, veramq́; virtutis gloriam instruimur: virum denique animi magni aduersus munera, liberi aduersus offensas, constantis aduersus inuidiam; quiq́; malit de dignitatis gradu, quàm de recta sententia dimoueri. Quibus quidem & qualibus ornamentis ac præsidijs, huic excelso & difficili muneri pernecessariis, Te Illustris Comes, abundè instructum & præditum esse, præter illa toties iā per Te exhibita, virtutum pulcherrimarum eximia insigniaq́; specimina, confirmat hæreditaria pænè Gentis Tuæ gloria, quæ āplissimos quosq́; honores, ita semper gessit & sustinuit, vt difficilè fuerit iudicare, vtrū illi magis honoribus, an honores illis decori & ornamēto fuerit. Quare gaude tuo

excellēti bono Illustr: Cōes, & fruere cùm fortuna & gloria, tùm etiā natura & moribus tuis. Perge in hac via Honoris quam calcare cœpisti, Deo & pietate ducibus, & per intemerata vestigia maiorum, omnesq; cogitationes Tuas dirige ad memoriā posteritatis æternam. Sed iam ex publica vtilitate conceptam lætitiā complexus, priuatim meam etiam cogito. Quantam putas, Illustris Comes, pectus meum inundasse lætitiam, cùm votorum, quæ olim nuncupaueram, compotem me sentio? Quoties venit mihi in mentem, venit autem sæpissimè, naturæ Tuæ bonitatis, toties iurè ambigo, maiorinè suffundi debeam gaudio quàm rubore, ob mirificam illam & plus quàm humanam benignitatem. Tenè Illustris Comes, ita humanitatis, totis quasi effusis habenis ruere, ea libentia diffūdi, & ignis volucris more descendere, ex alto dignitatis isto culmine, ad eos amandos æstimandosq;, non modò quos legitima aliqua insignit politioris literaturæ purpura, sed eius qualiscunq; fucus, quomodo crederem nisi expertus? Ideò oblatam mihi hanc occasionem, libens arripio, & maximè lætor: quippè qui certò sciam, scelus meum futurum insignitè magnum, nisi insolentem hunc Tuum affectum, insolito item obseruantiæ cultusq; modo, non solùm suspiciam ac venerer, sed & corde, & lingua, & calamo amplectar, prædicem, obsignemq;: idq; non minùs mea causa, gratitudinis scilicet ac conscientiæ indicium, quam reip. nostræ literariæ, cuius profectò interest scire Tuum hunc amorem, Tuum hunc honorem erga bo-

nas

nas artes. Omnino itaquè, depromenda mihi fuit hæc ieiuna licet, gratulatio mea, quæ tanquam animi mei interpres, iusta professione meritum Tuum, meamq; obligationem Tibi primùm legitimè insinuaret: hocq; deinde polliceretur, me in Te obseruando ac colendo, nemini Tuorum, etiam veterano, vnquam cessurum. Sed ne occupationes Tuas varias ac multiplices, hancque vndique circumfusam te salutare cupientium, multitudinem morer: ad dexteram Tuam prensandam venerabundus accedo, Tibiq; amplum hunc honorem gratulor, eumque Tibi inprimis fælicem & diuturnum, Ecclesiæ deinde ac Reipub. vniuersæ faustum salutaremque à Deo exopto: vtque plura adstruantur incrementa dignitatis, vota interponens, mea studia beneuolentiæ atq; patrocinio Tuo singulari & magnifico, etiam atq; etiam diligentissimè commendo.

Ex Pauli Iouij Nouocomensis Episcopi Nucerini Elogiorum Virorum Illustrium lib: VII. de Ioanne Tarnouio Castellano Crac. Exerc. Reg: Supr: Præf.

VOtis tuis religiose susceptis, vsquequaq; aspirent cælestia numina, magnanime Tarnoui, qui hac in tabula, triumphali lauro, & victricibus armis conspicuus spectaris, & Martio vultu illustre Sarmaticæ virtutis decus effers, qui toties de Barbaris bello victor & triumphator, vberiores etiam victorias te patriæ relaturum polliceris: quibus latè summotis pulsisq; hostibus, Lithuani, Roxolani, Podolij, Polonico imperio coniunctæ gentes, secura atq; lætissima pace perfruantur. Nihil enim nisi magnum ingenti animo concipis; nihil nisi gloriosum, salutare, & tibi patriæq; decorum & illustre complecteris vt clarissimis factis, insitum generosæ virtutis nomen & famam latissimè extendas. Eo namq; studio in adolescentia ingenium optimis literis excoluisti, iuuentutem durissimis belli laboribus dicasti, vt vir demum factus, totum penè terrarum orbem, noscendis tot gentium moribus, nobilissima peregrinatione circumeundum susciperes: adita primò Asia Syriaq; religionis causa, & conspecto mari Rubro, peruagatus etiam Africæ ciuitates vsq; ad Atlanticum Oceanum, vbi aduersus Barbaros Lusitaniæ Regi operam nauans, & fortis militis, & periti Ducis laudem, decoraq; spectatæ virtutis

tutis

tutis ornamenta consecutus es. Ab hac peregrinatione notitia multiplici rerum bellicarum auctus, in patriam rediisti, cùm Leonem Romanum Pontificem, & Carolum Cæsarem esses veneratus, tanto hominum fauore, vt Sigismundo Regi commendarere, & ab eo vniuersis regijs copijs præficereris, eamq; patriæ præstares operam, assiduis Barbarorum incursionibus laboranti, qualem afflicti ciues tui, ab optimo ciue fortunatoq; imperatore deposcebant. Siquidem Moldauos Geticam gentem Petro eorum regulo duce ad Obertinum ita profligasti, vt hostes alioqui terrifici, & multitudine superantes, Principe vulnerato, primarijsq; gentis interfectis, turpem in fugam conijcerentur: tu castris eorum & tormentis potireris, atq; inde triumphali curru Cracouiam inueherere; tanto Moldauis terrore iniecto, vt Petrus renouare bellum ausus, cùm te aduersus se iterum delectum Imperatorem audiret, omisso bello ad non iniquas parandæ pacis conditiones sit conuersus. Sed huic Moldauicæ victoriæ Historijs nostris abundè celebratæ, alteram amplioris procul dubio gloriæ de Moschis ad Starodubum debellatis addidisti. Sæpius Tartaros, Scythas fædissimum atq; sæpè improuisum hostium genus, non vno in loco illata cæde repressisti: singulari autem prudentia orientes in Regno seditiones compressisti, vsq; adeò latè propagata fama nominis, vt inuadente Pannoniam Solymano, Germani atq; Hungari Bohemiq;, te vnum sibi tanquam inuictæ virtutis gerendo bello Ducem expeterent.

Verùm quod non esset tutum præstare eam operam, tantum honorem probè repudiasti, ne id ægrè ferret Sigismundus Rex tuus Solymano vetere amicitia coniunctus; cùm tamen ille paratus foret, & teipsum, & vniuersi Regni copias reip. concedere, si reliquorum Christiani nominis Regum arma, sacro suscepto bello in vnum iungerentur, quòd tu suprema cura concupiscere existimaris, & Dij faxint, vt huius pij nobilisq; voti compos fias. Nihil enim est magis decorum atq; expetendum viro forti generosoq;, quàm pro patria dignitateq; Christiani nominis, non reformidato omni vitæ periculo, cùm Turcis Europæ regna affectantibus decertare.

Ex eodem, Iulij Iouij, de eodem.

Salue, ô Sarmaticæ gentis fortissime ductor:
Justitia atq; armis, quis se tibi conferat vnquam?
Cum tua dat sonitum bellorum buccina signum,
Poscis equos, atq; arma gerens in prælia, turmas
Sternis, & armatos exultans deijcis hostes.
Moldauiæ dominum, campo congressus aperto,
Fundis, Sauromatis cladem exitiumq; minantem.
Te superis Astræa plagis transcribit, & ipsa
Jam tibi perpetuos diuûm concessit honores.
Sarmata magnanime, agnoscat ventura vetustas,
Nullum posse tibi similem monstrarier Orbi.
At tu, viuus adhuc, multis dominaberis annis.